


ANTONII MATTHÆI  
DE  
AUCTIONIBUS  
LIBRI DUO:  
Quorum Prior  
VENDITIONES,  
*Posterior*  
LOCATIONES QUÆ SUB  
HASTA FIUNT,  
EXEQUITUR:  
*Adjecto passim Voluntariarum Auctionum jure.*

72  
15788



TRAJECTI AD RHENUM,  
Typis Johannis à Waesberge, Bibliop.

clō 10 c llll.

*Handwritten scribbles or signatures.*






# LECTORI

BENEVOLO S.

**H**X quo primùm de auctiõibus  
commentari cœpi, sæpiculè in men-  
tẽm venit illud Plinianum: arduum  
esse, vetustis novitatem dare, novis  
auctõritatem. Etenim non solùm  
ex veteri prudentia quædam erant  
foro asserenda; sed & ex novo, seu provinciali jure  
alia quidem civitate, alia verò Latio donanda. Utrum-  
que inexpertis facile est: modestius judicant, qui pe-  
riculum fecerunt. In universum tamen æstimanti,  
non tantum negotii materia facessit, quantum quidem  
præjudicia illa, quæ homines domo asserre solent. In-  
doctis enim sordet, quicquid ex jure Quiritium, ter-  
sum licet, nitidumque promitur: perinde ac si præ-  
sentis prisicque ævi immensa discordia sit; nec quic-  
quam quod nuperum illi putant ex antiquitate repe-  
titum deprehendatur. Hos sanè toto cœlo errare,  
vel sola subhastatio arguit: in qua tractanda, si cum  
hodiernis, seu Ordinum, seu Magistratum Edictis,  
conferas Romanum jus; facilè apparebit, nec obso-  
leta esse omnia quæ vetustas scivit, neque omnia no-





D E  
**A U C T I O N I B U S**  
 LIBER PRIMUS.

C A P U T I.

De Verborum Significatione.

- 1 Proscriptio quid?  
 2 Sectio unde, & qui sectores?  
 3 Auctio unde dicta?  
 4 Subhastatio unde dicta?

- 5 Commendatur studium bonarum literarum.  
 6 Verba alia Auctionum solennia exponuntur.

**A**UCTIONIO haut dubie ab augendo dicta est: ut Fulgentius existimat, quod ementem au-  
 geat & vendentem: ut nos, quod cuius au-  
 gere pretium, melioremque conditionem  
 adferre liceat. Neque enim tam ementium,  
 quam vendentium commodo auctiones in-  
 stitutæ sunt, tametsi non raro propter infre-  
 quentiam licitantium, augeant ementium conditionem. Ea-  
 dem sectio dicitur, à secando: seu quod creditores bona seca-  
 rent, cum olim leges XII. Tab. permisissent corpus debitoris  
 secare: seu quod emtores spem sui lucri secuti bona uno pretio  
 emta secarent, singulasque res populo venditarent: seu quod  
 emta sua persequerentur. Primam expositionem res ipsa veri-  
 similem facit. ut enim in locum verarum venditionum, quibus  
 XII. Tab. patri permisissent filium distrahere, imaginariæ ven-  
 ditiones & manumissiones receptæ sunt: ita in locum sectionis  
 corporis, quam mos publicus repudiavit, bonorum proscriptio  
 sectioque successit. Tertullianus: *Sed & iudicatos in partes secari à*  
*creditoribus leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est,*  
*& in pudoris notam capitis poena conversa est, bonorum adhibita proscriptio-*  
*ne. suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere.* Secundam  
 & tertiam expositionem cum Ciceronis, tum Grammaticorum  
 aucto-

Tertull. in  
 apolog.

Cicer. pro  
 Quint.